



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Libellvs De Principalitate Romanæ Ecclesiæ**

**Roth von Schreckenstein, Hieronymus**

**Ingolstadii, 1550**

**VD16 R 3252**

Ex Miracvlis Romæ editis tempore natiuitatis Christi & Constantini Magni  
colligitur eandem esse primam & principalem. Evtropivs Rervm  
Romanarum. Lib. VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30126**

DE PRINCIPALITATE  
IRENEVS LIB. III. ADVER.  
sus Valentinianum cap. Quemadmodum iudicabun-  
tur hi qui schismata operantur.

Iudicabit autem eos qui schismata operantur, qui sunt  
immanes non habentes dilectionem Dei suamque utili-  
tatem potius considerantes quam unitatem Ecclesie &  
propter modicas uel quaslibet causas magnum & glorio-  
sum corpus CHRISTI conscindunt, & diuidunt, & quan-  
tum in ipsis est interficiunt pacem loquentes & bellum o-  
perantes. Vere linquentes. culicem & camelum transglu-  
tientes. Nulla enim in eis tanta potest fieri correctio, quan-  
ta est fidei pernitias.

EX MIRACVLIS ROMAE  
editis tempore natiuitatis CHRISTI & Con-  
stantini Magni colligitur eandem esse pri-  
mam & principalem.

EVTROPIVS RERVM RO-  
manarum. Lib. VII.

HIS diebus trans Tyberim de Taberna meritoria fons  
olei ex terra exundauit ac per totum diem largissimo  
riuo fluxit, significans ex gentibus gratiam CHR-  
STI.

Sicut

## ROMANAE ECCLESIAE.

Sicut enim fons Olei Romæ ex terra exundauit, sic et Ecclesia Romana exundauit fides Christiana in totum orbem, ita ut fides Romanorum Diuo Paulo electissimo Vase teste annuntiaretur in uniuerso orbe.

Accedit ad hoc ingens miraculum in persona Constantini Magni. Cum is ex præcepto sacerdotum Capitolij lepra laborans fontem in Capitolio sanguine plurimorum innocentium & infantium replere uellet, cernensq; lachrymas matrum exhorruisset facinus, Petrum & Paulum Apostolos uidit ostendentes fontem salutis & præbentes sibi sanitatis recuperandæ consilium, quibus monitis fidem CHRISTI suscipiens à Beato Syluestro tum Pontifice Maximo baptisatus, & consignatus septiformis spiritus sancti Beati Chrismatis unctione, & in fronte uexillo sanctæ Crucis signatus sanitatem recuperauit, & à lepra alias uix curabili morbo sanatus est. Cuius confessionem inserere placuit.

### *Confessio Constantini Imperatoris.*

**I**N nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, patris scilicet filij & spiritus sancti. Imperator Cæsar Flauius Constantinus in Christo Iesu uno ex eadem sancta Trinitate Salvatore Domino Deo nostro fidelis, mansuetus, Maximus, Beneficus, Alemanicus, Gotticus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, Pius, Felix, Victor ac Triumphator semper Augustus. Sanctissimo & Beatissimo patri patrum Syluestro urbis Romæ Episcopo, atque  
F omnibus